

No 15

EPITHALAMIA 124
IN FESTIVITATEM
NUPTIARVM

*Præstantissimi, virtute & doctrina politis-
simi viri, Dn.*

M. AGGÆI

FRIDERICI,

Scholæ Rigensis Rectoris vigilantissimi
SPONSI,

&

SPONSÆ

Leætissimæ & pudicissimæ Virginis,

**DOROTHEAE BAVM-
GARTEN,**

Debitæ observantiæ ergò

Scripta

à

Sponsi Discipulis,

RIGÆ, Apud Nicolaum Mollinum. Anno 1619.

In. No 62353

284



HActenus acris hyems Aquilonis inhorruit alis,
Nullus honor sylvis, tantum fuit algor & imber,
Vndiq; lugebant suaves sine amore volucres,
Nuda suisq; stetit decussis frondibus arbor,
Iam tepet à Zephyris iterum mulcentibus aer,
Iam reserata viget genitabilis aura favoni,
Cessit hyëms, vestitur humus, vestitur & arbos,
Vere novo blandos exercet acredula cantus,
Tempus adest toto quo non jucundius anno,
Quisq; hominum gaudet, cantum dispergit in auras,
Alternisq; solum pedibus per gramina pulsat,
Quæq; prius fuerant tantum non mortua vivunt,
Sed quid? quid natura parat? cur omnia rident?
Omnes cur blanda testantur gaudia voce?
Cur frondosa comas umbrosas explicat arbor?
Cur volucrum tepidus resonat concentibus aer?
Scilicet illius gaudet natura diei,
Quo duo conjugii junguntur foedere firmo,
Quo Sponsus variis animi virtutibus auctus,
Quiq; Scholæ gestat Rigensis tradita scepra,
Artibus & pietate iuventutem imbuit omni,

A 2

Opra-



KATALOGS

Optatos celebrat thalami felicitis honores,
Accipit & divo junctam sibi numine Sponsam
Auro præstantem, & veræ pietatis amantem.
Ergo tibi ut faveat facies dulcissima rerum
Cernas Sponse, tibi ut faveant cælumq; polusq;,
Musæ etiam nostræ tali gratantur honori,
Lætatur tota Rigensis in urbe juvenus,
Nec non fausta tuis promittit plurima tædis,
Illud enim cæptum rectum, justumq;, bonumq;,
Hoc Deus instituit sociati fœderis autor,
Ex costa patris primi dum condidit Evam.
Omnibus impressum est ortis à tempore rebus
Conjugii prælustre decus, sic gaudet amantis
Amplexu cœli gremio dulcissima tellus
Sol quoq; agit patrem, matrem Latonia splendens,
Cernitur ut pulchrè fulvo pellucida in auro,
Quæ nitido fulgens blanditur gemma colore,
Sic benè in amplexu spectatur honesta mariti
Dilecti, & lepidis quæ præstat moribus uxor,
Quam bene junguntur verni cum smilace flores
Tam benè legitimo sociatur Sponsa marito,
Quantum aurora diem quantum ornat Cynthia noctem,
Casta domum placidis tantum ornat moribus uxor,
Lumen ut à Phœbo sortitur Luna sereno,

Sic

Sic splendet radiis conjunx stellata mariti,
Deniq; propter aquas quales albentis olivæ,
In numerum teneras cernas frondescere plantas,
Talia conjugii spectantur pignora casti,
Cum simul accumbunt, victuq; fruuntur eodem,
Vitis ut arboribus decori est ut vitibus uvæ,
Sic dulces nati sunt ornamenta parentum.
Felix ergo dies imò hæc felicior hora,
Legitimo quâ Sponse tibi conjungitur igne,
DOROTHEA hæc illa est, radians pietate fideq;,
Hæc tibi præstabit dubii solacia casus,
Quando domum te defessum Schola nostra remitter,
Dulcibus alloquiis ex fido corde profectis
DOROTHEA excipiet, requies erit illa laborum,
Illa tibi curas omnes & tædia pellet,
Hanc igitur, licito Nympham complectere amore,
Hæc lætus frueri, hæc tua sit jucunda voluptas,
Hæc nihil in toto sit quicquam charius orbe:
Tu quoq; Sponsa tibi charum venerare maritum,
Quod facis, & facies colere & redamare memento,
Hunc ornant probitas, dulcisq; modestia vitæ,
Est vir præstanti pietatis amore probatus,
Addo quod Aonio multum sudavit in agro,
Vnde Magisterii est laudabile nomen adeptus,


A 3

Sin-

Singula quid refero? nil non laudabile in illo est,
Ergo prætereo laudes, aliisque relinquo.
Gratulor interea fortunam Sponse, benignam,
Ex cubet ad thalamum pax, & concordia cingat,
Sint procul à vestris lites & iurgia lectis,
Quod superest? multa felices prole vigete,
Vivite Nestoreos ambo feliciter annos,
Hæc precor, hæc vobis votis ardentibus opto.
Plura velim, sed plura vector: tu carmina vultu
Suscipe discipuli placido doctissime Sponse,
Prima voluntatis laus est, ubi posse negatur.

à

Gerhardo Rigemanno
Rig: Liv:



ALI-

A L I U D.

Connubio cupiens Agæus subdere collum
Castalidum decus, insignis pietatis amator,
Moribus ingenuis culta & modulamine lingua
Clarus: Chæonia Sponsam probitate columba
Assimilem Bomgardt claro de sanguine natam
Elegit sibi, (eat bene) quâ cum tempora vita
Duceret, ac rapido conceptas pectore flammâs
Excueret. Mibi dic: cur passus Cypria telis
Laderet ut te Diva suis? Solum esse, nocivum
Multis, nos accendebant mandata Iehovæ;
Responsum laudo nulli dubitabile sano.
Sponsâ quâ ratione dierum tedia pelles?
Scilicet amplexu, vario Sermone jocisq;
Gratis. Rectè inquis: sæpè hæc quia nubila mentis
Depellunt, radiis claris rursusq; serenant.
Dulcisonis, Rector, deberem nunc ego metris
Ulterius depromere fructus, quos dat, amenos
Ingenium, vir amande, tuum: Polymnia haberem
Si modò venam cum Tullii Suadaq; medullâ.
Vota tamen Regi rutilo super axe sedenti
Fundere pro Nymphis moneor quàm clausula fiat.
Christe DEI Soboles non inficianda parentis

UI



Ut nos eriperes nigris ex Damonis Undis
Formari casta voluisti in Virginis alvo:
Vulnera seua ferensq; es patri victima laeso
Factus pro nobis: Socialis se dere lecti
Iunctis des omne id, rerum quod postulat usus.
Tristi sit sine lite torus, sed prole creandâ
Felix. Vos maneat longævi Nestoris anni
Ætheris ast obitum post celsi dulcia Tempe
Hæc precor ardens, nec mea vota repulsa manebunt
Te coram, amissa qui fons & origo salutis.

Scriptum

a

Rotgero Bergio Rig:



843228

LU Akad. bibl.



817002293